

lati etiam sunt, quomodo prosilient a puncto? Sin vero profundi etiam sint, multo minus prosilient a puncto. Cur non a tota lucis latitudine dicuntur emicare? Cur non etiam a lucis profunditate? Si de Lunæ radiis quæstio poneretur, quæ non tota est lux, et quæ partibus quibusdam lucet, aliis est obscura, locum forte haberet dubitatio. Sed quoniam in Sole lux tota uniformis est, a tota potius Solis superficie emicabunt, quam a punctis. Non quidem ab una cuncti parte, sed proximis quisque tanta, quantus ipse latitudine prima sua est. Ita ut qui radii, ambitum Solis veluti coronant, ab ipsius ambitus partibus promanent.

Hæc ergo prima esto radiorum actio, ut a Solis tota superficie promicent. Secunda, ut a toto Solis profundo emergant. Dictum est namque, intus quoque, Solis corpus totum esse lucem. Lucis autem naturale ac necessarium munus est, radios emittere. Ab universis ergo Solis partibus, particulisque radios emanare, tum externis, tum internis est necesse. Quod in nostris flammis etiam videm? Quæ totæ, intus et extra, lux existunt. Nec ulla earum exterior pars est, quem interiorem, vel lucere impediatur, vel radios suos mittere non sinat, quamvis fumidæ aliquando visantur, et earum medium lycithus teneat. At in Solem nec fumus, nec lycithus est ullus. Emanant autem ab omnibus Solis partibus radii, in tractus longissimos, ita tamen ut a Sole numquam divellantur. Neque ullum est temporis momentum quo non emanent. Neque enim noctu, neque in eclipsibus non emicant. In æthere Solis radii numquam non fulgent. In aere fulgere numquam cessat qui a terræ umbra, vel a nubibus sit liber. Itaque in eis nulla est radiorum nova, emanatio, nulla nova propagatio. In inferiore autem aere, et terram ambiente, tenebrisque terræ, aut nubium umbris delitescentes, illico ac Sol ex tenebris, aut umbra se se exerit, emicant radii, momento locumque prius obumbratum illuminant, et quasi sui multiplicatione, atque amplificatione gaudentes quaqua versus se se effundunt, eiusque effusionis finem nullum videntur facere: et veluti lascivientes sisti nesciunt. Quo fit, ut vel hemisphærium totum, vel eius partem aliquam prius obscuram, sua in omnes partes diffusionem, impleant momento, et per eas quasi victores, ex sententia discurrunt saliuntque, omniaque momento penetrant. Nullam in partem magis, quam in aliam inclinant, in nullam torquentur, sed rectissimarum ad instar linearum rectissime procedunt. Alii in circulum circa solem, lucem eius coronantes, ab eoque profusi in conum desinunt. At cur non omnes vel longitudine, vel latitudine sunt æquales, quando ab eadem luce, et æque in omnibus partibus vigente, prodeunt?

Cur itidem ii, qui in ambitu, solem corona cingunt, conspiciuntur? Qui autem recta visum nostrum feriunt, non visuntur?

Secundæ huius rei, causa in promptu est. Quia luce sua nimia, spiritus visivi lucem obruunt, ita, ut etiam non raro lædant, unde factum proverbium. Excedens sensibile, sensum corrumpit. Prior illa difficilior quæstio, nisi dicatur, id non esse radiorum vitium; sed fieri aeris obscuritate aliqua intercedente, vel visionis nostræ debilitate, dum scilicet Solem intuetur, candore illius hebetatur. Ut resumamus. Radii Solis e luce sua semper emicant, tamquam luces aliæ prioris filiæ, eæque innumeræ, et candidissimæ semperque æthera atque aera, usque ad impedimenta opaca, repletos tenenti. Opacitate vel Lunæ, vel nubium, vel terræ ammota, illico, momento temporis usque ad terram illi poriguntur.

Quid usque ad terram dico? Si terram perspicua esset, universam eam, ut vitrum transuerberarent. Sed qui in eam non incidunt per aera, e lateribus terræ positum, ad cælos usque oppositos protenduntur. Stellarum vero ob longinquitatem, ignium ob imbecillitatem radii non tam longe porriguntur, præter eos, quos Venus ac Luna iaciunt. Astrorum reliquorum, atque ignium, pro magnitudine, fulgoris copiam ostentant. Hinc lucium vires variæ, et procul magis, et procul minus radios proiiciunt. Unde facta sunt opticis axiomata. Radios si a debili luce emicent, debiles et ipsos esse. Et tantum eos progredi, quantum lucis suæ vires iacere possint. Et quanto lux maior fuerit, et pro materia, ac copia validior, tanto radios longius diffundi, et tanto amplius illuminare. Tum etiam. Quanto, siderum, et ignium radii longius, se se propagant, tanto debiliores reddi: ita ut tandem vel

Cur radii  
inæquales  
sint?